

25
DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE
IVRE CIRCA VOTVM

1781, 2

Q V A M

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

INCLYTI IVRE CONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

MAGNIFICO NVNC ACADEMIAE PRO-RECTORE

D O M I N O

IOANNE MATTHIA MARTINI

SERENISSIMO DVCI REGNANTI A CONSILIIUS IVSTITIAE,

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE ET PROFESSORE

PVBlico ORDINARIO

AD HVNC ACTVM DECANO

P R O

*SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS.*

H. L. Q. C.

D. XXI. FEBRVARII MDCCCLXXXI.

D E F E N D E T

IOANNES HENRICVS REINECKE

CROEPLINO-MECKLENBURGENSIS.

B V E T Z O V I I

1781.



DIESER TATIO IUNIADARIALIS IURIDICA

IURE CIRCA VOTUM

GAIA

IN ACADEMIA IMPERIALINA

INCULTI UNIVERSITATOREM ORDINIS ACADEMIAE

PRATICIDE

MAGNICO MUNC ACADEMIE TRICENTOLO

DOMINO

JOANNÆ MARTINI

SEPARATIONE DACTYLONIÆ CONCLAVIS INSTITUTÆ

VARIS ALTISSIMÆ POSITIONE ET PROGRESSORI

HABITICO SENSUARIO

UD HANC ACTAM DECIMO

PRO

SUMMIS IN ALBOIS IURE MONSTRIS

RITÆ ORATIONIBUS

ML 6.

D. XXX LEBRARIU. MDCCCLXX

DAVINCI

JOANNÆ HEINRICAS REINHCKE

COPERTINUS-MECENAS-ACADEMIAE

BALTSOVI

1821

CONSPECTVS.

CAP. I. Votum quid sit et quotuplex.

A. Introitus. §. I.

B. Generatim de natura et indole voti.
§. II.

C. Speciatim indicantur

a) varii gradus in votuendo §. III.

b) variae voti diuisiones.

α) an ius Romanum diuidat, §. IV.

β) diuisiones iuris Canonici. §. V.
quibus

γ) annexuntur aliae peculiares, §. VI.

CAP. II. De effectu voti rite emissi

A. de effectu in genere et quando dicatur
rite emissum, §. VII.

B. in

C O N S P E C T U S

B. in specie

a) secundum Ius Romanum. §. VIII.

b) secundum Ius Canonicum. §. IX.


c) apud Pontificios et Protestantes. §. X.

**C A P. III. De modis tollendi obligationem ex voto
prouenientem.**

A. si soluitur votum. §. XI.

B. si per actionem ad eius impletionem com-
pellitur. §. XII.

C A P. I.



CAP. I.

§. I.



Votum tam vario sensu accipitur, ut significatus vel primarios allegare ratio instituti non permetteret. Omittimus omnes ideo, de vnico tantum, qui ad nostrum scopum pertinet, diuiri. Docemur in iure, nos inter alios modos posse obli-gari *facto licto*; hocce factum autem consistit vel *pæsto* vel *pollicitatione*, pollicitatio autem rursus diuiditur in *pollicitationem in specie sic dictam*, si homini promissio facta, et in *votum*, si *DEO*. De quo postremo nobis sermo erit.

Verba, *DEO promittere*, nemo audit, nisi statim contradictione apparenti se offendum putet: qui enim habet, qua ratione illi potest dari? aut quid promittere possum, cui omnia debo? Hocce dubium, an

❧

fundatum sit , an non , postea commodius annexi poterit. Interea sufficiat , hoc iam monere , quod , quamquam primo intuitu res contradictionem inuoluere videatur , nihilominus tamen aliquid saltem , quod non a ratione abhorret , votis inesse , ex eo sit colligendum , quod mos vouendi apud omnes gentes ab antiquissimis inde temporibus in vsu fuit.

Voti fundamentum inuestiganti vltro apparet ,
hocce in communis omnium hominum statu esse quaerendum , qui dubio procul hoc loco est *timor ac indigentia* , vt recte hic applicari possit illud Petronii :

primus in orbe Deos fecit timor — —

Nemo nescit , quanta deuotione ad diuinam properamus opem implorandam , si nostris consiliis et viribus non satis muniti res trepida in angustias animum pellit . dum nobis aut imminet periculum , aut de bono consequendo cupidi sumus , aut , quod tamen vltra ethnicum morem se extendere non deberet , aliis damna paramus , et precamur infortunia. Haec votis consequi cipiunt. Quae iam dixi , exemplis abunde probantur , si modo scriptores veteres , qui cuilibet in manu sunt , lustramus. Vsque adeo in vsu fuerunt , vt concertarint fere , qui vouendo alterum superaret , dum secundum voti proportionem feliciorem vnis praeter altero euentum sperabat. Vouerunt non Diis modo . sed adeo elementis , a quibus aut verebantur damnum , aut aduersariis inferri posse persuasos se putarunt ; fecerunt vota pro incolumitate corporis et bonorum ; nec non aliorum hominum , praecipue Superiorum ; vouerunt

runt ob quodlibet negotiorum genus, in conatu etiam turpi in primis maiori periculo coniuncto, a)


§. II.

Praemissis generalioribus ad rem est proprius accendendum. Prouti titulus indicat, de iure circa votum agere est institutum; ne ergo a communi et fere necessario usu recedamus, ante omnia voti definitio debet praemitti, quia tunc demum iura circa rem discere proni sumus, si ipsa res nobis innotuit, de qua traduntur. Ex antea dictis liquet, voti rationem in eo consistere, ut Dei fauorem nobis conciliemus. Per rerum naturam autem patet, si pro fauore conciliando alicui quid promittis; principaliter eo promissionem esse dirigendam, ut eiusmodi quid contineat, quod alteri gratum est arque acceptum, quia alias motus animi, qui fauor dicitur, excitari nequit. Principium hoc primarium mihi videatur materiam definitionis recte suppeditare. Votum itaque est, pollicitatio Deo facta de re aliqua ipsi grata.

§. III.

Prouti haec pollicitatio variis perficitur gradibus, ita quoque de singulo singulares occurrent modi loquendi.

- a) Qui huius rei exempla satis multa in vnum collecta legere eupit, et varios ritus apud diuersas gentes in vouendo obseruatoris, illi satisfacet Alexander ab Alexandro genial, dier, Lib. III. c. XXII.



di. Si enim quis vouere vult, et deliberare incipit, dicitur *votum concipere, facere*; si perseverat in deliberatione, ita ut firmum inde oriatur propositum vouendi, auditur *votum figere*; si iam determinatur praestatio, quam quis in actum deducere vult, hoc est *votum nuncupare, signare*; si tandem ipsa fit pollicitatio, tunc ultimus actus est perfectus, et nominatur *votum suscipere, se obligare voto*. Qui rite votum suscepit, vocatur *voti reus, voti damnatus vero*, qui iam promissa soluit; si promittens *voti compos* factus est, illius implementum dicitur *soluere, persoluere* cet.

§. IV.

Variae quae occurunt voti diuisiones, ex Iure Canonico omnes originem trahunt. Quamquam enim adduci solet *L. 2. D. de pollicit.* et inde formari diuisio votorum in *realia et personalia*, quorum haec facto personae et deuotione constarent, illa vero sumtu expedirentur b); mihi tamen legem ne ylo quidem verbo hoc indicare appetet, potius persuasum mihi habeo: hunc sensum fere esse illatum, quia forsitan, qui primus in illum errorem incidit a lectione iuris Canonici ad Ius Ciuale nimis volitauit, et hoc facto ideam iamiam acquisitam in Digestis quoque inuenire putavit, alii autem huius fidem non satis prouidi sunt sequuti. Hoc quidem omnino non inficias ire possum, quod Romani nonnulla vota maiori externa deuotione

et

b) e. g. Gundling in *allgemeinen geistlichen Recht Lib. I.*
Tit. XXVI. §. 21. 22.

9

et quadam religionis pompa persolverint; ex quibus tamen ritibus minime personalia sunt nuncupanda, nedum cum auctoritate legis, utpote quae nihil de his iniicit, realium potius tantummodo mentionem faciens, ut inde nihil colligere liceat, nisi quod apud eos omnia vota de rebus suscepta, et propter hoc realia fuerunt. ^{c)}

§. V.

Ius canonicum, quod maiorem et irrationabilem fere votis addebat fauorem, hanc doctrinam magis quoque excoluit. Secundum hoc vota dividuntur in *realia* et *personalia*, quorum descriptio in §. IV. est praeceduta, quibus addunt *mixta*, quae sumtu et labore corporis simul peraguntur. Ob maximum effectum iuris autem principalis et satis famosa votorum personalium diuisio est, quod sint vel *solemnia*, vel *minus solemnia*, seu *simplicia*. Describitur fere ubique solemne, quod absolvitur per susceptionem sacri ordinis vel expressam aut tacitam probatae religionis professionem ^{d)}. Qui vero ita explicant can. un. de voto et voti redēmptione in 6to illi, ut mihi quidem viderur, exempla accipiunt pro vniuersali regula. In dicto canone enim nil nisi quaedam exempla voti solemnis prae reliquis priuilegiata repe-

c) Si de obligatione voti quaeritur, et actionibus inde oriundis, postea patebit, hos expresse distingui in reales et personales.

d) Vid. Gundling allgemeines geistliches Recht L. I. Tit.

XXVI. §. 19. 20.

reperio. Papa ibi noluit adaequatam voti solemnis definitionem tradere, sed illas species tantum nominat, quae ad quaestione ipsi propositam decidendam fecerunt. Consulebatur, quodnam votum debeat dici solemne, et ad dirimendum matrimonium efficax? et ad posterius quaestiones propositae membrum responsionem principaliter tantum dirigit e).

Accurior canonis inspectio faciet votum solemne ita describere, ut sit *quod fit publice praesentibus et intelligentibus aliis*. Est ergo solemne idem quod manifestum f). Et tunc votum minus solemne, siue simplex in opposito erit, quod fit priuatim aliis ignorantibus.

Est

e) Verba ipsa canonis hic subjungere non abs re erit, quia in subsequentibus applicationem inuenient. Sunt autem haec: Quod votum debeat dici solemne et ad dirimendum matrimonium efficax consulere nos voluisti. Nos igitur attendeentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione ecclesiae est inuenta, matrimonii vero vinculum ab ipso ecclesiae capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiſo et in statu innocentiae instituente uniuensem et indissolubilitatem acceperit. Praesentis declarandum duximus oraculo sanchionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem apostolicam approbatis. Reliqua vero vota, eti quandoque matrimonium impediunt contrahendum, et quanto manifestius sunt emissae, tanto propter plurimum scandalum et exemplum, durior poenitentia transgressoribus debeatur; non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.

f) BRUNNEMANN in Iur. eccl. Lib. II. c. VII. ita habet: votum solemne publice coram testibus aut juramento f.

*Est alia in voto religionis tantum inueniens locum
diuilio votorum in expressa et tacita. Quanquam enim
susceptio ordinis sit species voti solemnis, et ita publice
intelligentibus aliis professio fieri debeat, accipiuntur ta-
men facta concludentia quoque pro sufficienti declara-
tione voluntatis; et pro tacita professione accipitur, si
quis cuiusdam ordinis habitum suscepit et in eo perseue-
rat per certum tempus, ut tempore elapsi fiat religiosus.*

*In voto est promissio, haec vero vel pure potest
fieri, vel sub conditione, vtro ergo patet, quod votum
vel pure vel sub conditione suscipi, et ita purum vel con-
ditionatum esse queat.*

§. VI.

*His in legibus fundatis diuisionibus nonnulli Ponti-
ficiorum adiungunt nouam, quae illis primaria videtur.
Volunt, vota esse vel *necessaria*, quae praeceptum pro
fundamento habent, vel *votantaria*, sive *confilii*, quae
de rebus aut factis nostri arbitrii suscipiuntur. Quae di-
uiisio quanquam communiter reicitur tanquam insuffi-
ciens g), quia absque voto suscepto iam ad ea, quae in
praeceptis sunt, obligatus maneo, hoc quidem in theoria
omnino verum est; si autem de vtrorumque effectu
quaeritur, momentum practicum omnino inde depen-
det, de quo infra.* Ad-

*(A) *Gundling im allgemeinen geistlichen Recht L. I. Tit.*
B. 2. *XXVI. §. 19. 20.**

Addunt adhoc votum gratitudinis, supplicationis cet. quorum natura ex denominatione iam fatis paret. Est insuper votum *claudicans*, in quo a parte voquentis obligatio quidem perfecta contrahitur, quae tamen ab alio interrumpi potest: huc pertinet votum abstinentiae quod mulier viro prohibente seruare non cogitatur. Quid sit votum *non ratum*, et *non rectum*, de eo postea obueniet dicendi occasio.

C A P. II.

§. VII.

Vsus distinctionum tantummodo appetet ex diuerso iuris effectu, qui inde pendet. Ut ergo statim pateat, praemissas diuisiones minime inutiles esse subtilitates, nunc de effectu voti agendum erit. Generatim dici potest: *ex voto rite suscepto firma oritur obligatio*; inde vulgatum illud: quod ab initio erat voluntatis, ex post facto fit necessitatis. Supradictum est, votum esse speciem pollicitationis, ita tamen ut solius tantum offerentis adsit promissio. Promissio absque accedente acceptatione nullam omnino alias producir obligationem. Et hoc ita esse in rebus priuatis, expediti iuris est, vt ne pollicitatio quidem praesenti et tacenti facta promittrentem obliget si acceptatio ex nullis signis concludi potest ^{h)}. Polli-

^{h)} arg. L. 3. pr. D. de pollicit.

Pollicitationi vero in genere adsistunt leges in fauorem publicam et ecclesiasticam magis, adeo ut nulla, quae tamen adesse potest, acceptatio sit de necessitate, ut absque illa validam potius producat obligationem, si modo votum sit rite susceptum. *Quando autem dicatur votum rite susceptum, quando non ita?* ante omnia nunc erit disquirendum. Votum est promissio, promissio velle supponit, qui igitur non potest velle nec valet promittere; promissio enim est significatio voluntatis de praestando aliquo. Requiritur ergo in vouente *libera voluntas*. Qui igitur vel natura, aut subiectione, aut pacto anteriori obligatus, velle non potest, vel extra libertatem mentis positus se sponte determinare nequit, ille nec voluit, nec vovit. Cum porro inanis foret promissio, si eius implementum non esset in potestate nostra, alterum requiritum est, *ut obiectum sit in potestate nostra positum*. Res extra nostram potestatem sitae sunt vel natura tales, vel lege. Liceat ergo ex his dictis formare regulam: *Votum debet esse verum, nec praestationi obstat impedimentum vel physicum vel legale.*

Secundum modo dicta nunc a vouendo omnes arcentur illi, qui a pacificendo; et quoad res omnes restrictiones sunt applicandae, quae iure ciuili traduntur in doctrina de pactis, vtpote cum qua haec in omnibus fere conuenit, praeter quod pactum duorum consensu constat, in voto autem vnius, scilicet promittentis consensus ad negotii perfectionem sufficit.

*Variat nihilominus effectus secundum diuersa iura,
Vt ergo eo accuratius procedamus, de singulo sigillatim
agere expediet.*

§. VIII.

§. VIII.

Quod igitur in specie attinet *Ius Romanum*, vota personalia non pertinebant ad forum, bene tamen realia. In his autem iterum videndum est, quid iure Pandectarum et quid iure Codicis disponitur. Secundum L. 2. D. de *pollicit*, votens voto obligatur ita, ut non nisi res soluta eum liberet. Re autem non soluta *actio personalis* tantum inde dabatur ex ratione subiuncta, quia voto res *sacra* non efficitur. Res sacrae olim fuerunt, quae publica Pontificum auctoritate erant consecratae, et a magistratu maiori dicatae; erant res nullius negatiue tales, i.e. quae neque in bonis sunt, neque vlo titulo acquiri possunt. Quamdiu vero res nondum erat separata, tamdiu consecratio et dedicatio accedere non poterat, nec res in bonis esse desinebat.

Pergo ad dispositionem iuris Codicis. L. de 23. SS. eccles. inter ius diuinum publicumque et inter priuata commoda haec notabilis, et vti dicitur competens discrecio est sancita: vt res vota praeter actionem personalem, reali etiam persequi possit.

Rei vindicario autem, vtpote, quae contra quemcunque rei possessorem instituitur, non aliter locum habet. nisi circa res, quarum dominium vindicanti competit; consequens ergo est, vt, per votum ipso iure dominum acquiri, sanctio haec sit intelligenda. Qua ratione autem ita disporere potuit Iustinianus, in eo quae rendum est primario, quod diuisiōnem veterem rerum quae diuini iuriis sunt, in sacras sanctas et religiosas prorūsus

sus mutauit, et simul notionem antiquam de rebus sacris, volens, vt res sacra sit, quae ad cultum diuinum immediate est destinata. Quare cum destinatio faciat rem sacram, mos consecrationis et dedicationis post introduc tam religionem christianam in vsu esse desierit; cessauit quoque simul ius ab his ritibus dependens, et ita votis potuit salua iuris analogia hunc effectum addere. Praeterea per arbitrariam dispositionem voluit, vt nullis temporum metis huiusmodi actiones circumcludi possent; ne tamen videretur in infinitum extendere; longissimum vitae hominum tempus elegit, vt facultas agendi non excluderetur, nisi C. annorum curricula excesserint. Quod tempus C. annorum ab ecclesia Romana adhuc obseruatur, quanquam ratione aliarum ecclesiarum ad XL, annos terminus est restrictus ^{i).}

§. IX.

Jus Canonicum praeter illud, quod cum iure civili circa voti effectum habet commune, ad maiorem ei firmitatem conciliandam, cum satis viderent, quantum inde in pia corpora redundaret emolumentum, eo in primis laborauit, vt libertatem recedendi a yoto quam maxime angustis includeret cancellis, et in hunc finem grauitatem peccati, si votum non deduceretur in effectum, satis exaggerauit. Statuunt tamen canones differentiam, ratione peccati hoc modo contracti; distinguunt nempe ita: si quis adhuc substitut in primo vogendi gra-

du,

ⁱ⁾ Auth. quas actiones ^C de SS. eccl. No. 131. c. 6.

du, scilicet in primaria deliberatione, hanc vero in actum deducere non vult, committit peccatum *veniale* ^{k)} et poenitentia ea propter imponitur. Grauius est peccatum, si iam aliquamdiu perseveravit in deliberatione et iam proposuit firmiter de voto faciendo, hocce infringere est *damnabile* ^{l)}. Si verum iam adest votum, quamquam non solemne, illius intermissio est *mortale* peccatum ^{m)}.

Si quis votum iam vere emisit et in aliud mutat solemne, ei pro voto non impleto imponitur poenitentia ⁿ⁾. Occasione huius loci se mihi offerunt *peculiares effectus pro diversitate diuisionum* supra adductorum. Quanquam enim Pontifex docet, votum simplex apud Deum non minus obligare quam solemne ^{o)}, nihilominus tamen statuitur, priori simplici per solemne posterius derogari ^{p)}. In specie inter simplex votum et solemne de seruando ordinis regulas, haec est differentia: solemne matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum, simplex impedit tantum matrimonium contrahendum ^{q)}.

Dif.

k) c. 4. C. 17. q. 1.

l) c. 2. C. 17. q. 1.

m) c. fin. C. 27. q. 1.

n) c. 5. de regularibus in 6to.

o) c. 6. x. qui clerici vel voventes *matrim.*

p) c. 5. de regul. in 6.

q) c. 3. x. qui clerici vel *vov.*

Differentia inter expressam et tacitam religionis professionem haec est, quod per illam quis ad eam prae cise religionem obligatus maneat, quam professus est; per hanc autem generaliter tantum ad aliquam amplectendam quam eligere vult, religionem ^{r)}

Ad stabiliendam et muniendam Pontificalem auctoritatem status monachorum et expeditiones cruciatae sine dubio maximum fecerunt. Quod Pontifices bene intelligentes non defuerunt, qui vota de his emissis quo-uis modo promouere iisque praे reliquis singulares effe-ctus tribuere studuerunt, parum considerantes eorum impedimenta, et canones et leges non raro directe ob-stantes. Huc refero ratione arbitrii quod annum discre-tionis in feminis statuunt XII. et masculis XIV. ^{s)} licet haec aetas minime sit ad discernendum idonea, et quam-uis porro permittunt, ut impuberes, qui minores XIV annis religionem sunt ingressi, ex voto non teneantur, nisi postea professionem fecerint sive expressam sive ta-citam, ad hanc solemnitatem XV annum sufficere po-nunt ^{t)} quia in hac aetate aequre minus dijudicare pos-sunt, an ad hoc vitae genus per omnem vitam idonei mane-bunt.

Quod ad subiectionem pertinet, statuitur quidem,

^{r)} c. I. §. qui vero et §. fin. c. ²§. facile c. 3. in fin. de regul. in 6.

^{s)} c. II. 12. x. de regul.

^{t)} c. I. de regul. in 6.

seruos vouere non posse in praetudicium dominorum v); nec eos ordinandos esse ante manumissionem, si vero contra factum , deponendos rursum x); verum enim vero in fauorem monasteriorum aliter se res habet; qui enim seruus per triennium commoratus est in monasterio fit liber y).

Pari respectu filiofamilias a vouendo absque patris consensu quoad eius praetudicium arcenatur z); interpretes tamen in contrarium vergunt , vt votum religionis a filiofamilias sine consensu patris fieri possit ex ratione, quia non attenditur patria potestas in spiritualibus a) et filiofamilias delinquens Diabolo obligatur absque patris consensu b). Ultimum, quod canones patri et tutori relinquunt , est vt votum ante pubertatem factum queant irritum reddere non vero post eam c). Pari modo ab analogia discrepat votum coniugum (quod, licet consensum de praesenti sibi inuicem dederint, unus desponsatorum altero inuito religionem ingredi potest , dummodo copula carnalis non interuenierit d), et magis vt efficax perdurat votum de peregrinatione e)

u) c. 12. D. 54.

x) c. 1. 2. x de serv. non ordinand.

y) c. 20. D. 54.

z) arg. c. 19. C. 22. q. 4.

a) c. fin. de iudic. in 6.

d) c. 1. x. de delict. pueror.

e) c. 1. 2. C. 20. q. 2. c. 2. de regul. in 6.

d) tot. tit. x. de conuersi, coniug.

natione ad terrae sanctae subsidium, etiamsi vxor plane consentire nolit, e), cum tamen consensus faciat matrimonium et indissoluble confortium vitae. **¶** Quis non videt, in omnibus voris modo recensitis mox conscientiae vim inferri, eo quod inconsulto et absque facultate discernendi est promissum, mox impediri reuerentiam erga illos, quibus natura indidit sollicitudinem et curam a se progenitorum, mandatum superioris tolli, et pacta firma infirmari soluique.

§. X.

His omnibus nondum contenti pontificii praeter adductos effectus adhuc ingentem addunt valorem votis, et non solum singularem cultum diuinum in his ponunt, sed de votis monasticis in primis statuunt; eiusmodi esse opus meritorium, per illa mereri non tantum gratiam diuinam, sed amplius etiam adeo, ut alii operum supererogationis illorum participes fieri queant; in summa, hocce vitae genus omnibus aliis in Republica et Ecclesia praevalere, quae omnia et plura recensentur in August. Confess. art. VI, et in Apolog. Confess. art. XIII.

Quae contra nostrates sentiunt, primi confessores his statim subiungunt. Reiciunt hanc doctrinam in totum, prouocant ad canonem, qui vult, ut in omni voto ius superioris excipiantur. Inde recte inferunt, per

e) c. 9. x. de voto et voti redempt.

vota non posse ordinationem Dei et mandatum tolli; hinc vota monastica, quia pugnant cum primo principio articulo, plane esse abroganda. Principia supra adducta de voti validitate reuocarunt, secundum quae votum debet esse in re possibili, voluntarium, sponte et consueto suscepturn. Omnis cultus ab hominibus sine mandato Dei institutus, et electus ad promerendam iustitiam iis impius est. Nihilominus tamen iubent, vota licita seruare, et per hoc diuisionem voti solemnis et simplicis auferunt, et omnem differentiam, quae ab hac pendet distinctione.

Huius loci erit, de eo paucis differere, an Deo votum fieri possit, et an eius interficit ut impleatur? Quod ad priorem quaestionem pertinet, mihi videtur, Deo voueri non posse, ideoque verba ita esse interpretanda, ut hoc nomine complectatur quidquid respectu eius sit in primis quoad vota realia.

Quod ad posteriorem vero attinet quaestionem propositam, statuendum puto, quanquam susceptio voti est merae facultatis, et nihil refert, an voteat quis, an non, ut eius implementum tamen nullo praetextu absque contumelia in Deum intermitti queat, cuius decisionis rationem hanc offero: quia vota regulariter fiunt de bono quodam sperato, aut pro auertendo malo, ideo voti compos, si eius implementum detrectare vellet, facti veritatem denegaret et hoc ipso crimen blasphemiae committeret: ex aduerso autem maximum reverentiae et gratitudinis signum declaratur per praestationem voti, utpote per quam omnibus attestamur, quod Deus nobis fit

fit auctor boni. Secundum haec votum quoque' voluntarium s. consilii locum fibi in effectu vindicat, per hoc enim noua causa accedit obligationi iam ante debitae ad seruandum promissum iteratum, prouti per intermissionem huius multo magis iniuriam in Deum committit et ob scandalum publice datum grauiori censurae subiacet, qui votum implere recusat.

CAP. III.

§. XI.

Finis voti est eius solutio, ad quam quis statim post eius implementum est obligatus, nisi tempore restricta fit. Qui voti compos, si soluit quod promiserat, tunc res se bene habet et voto liberatur. Si non soluit, quia vitium in voto latet, tunc *vel* peccatum est in modo vouendi, quod dicunt votum non rectum, *vel* votum ita comparatum est, ut absque peccato seruari nequeat et vocatur non rectum et non ratum simul. In omnibus his casibus irritum declarari debet. Si porro in voto vitium quidem non est, ast aliunde eius implementum impeditur, tunc dicitur votum tolli, quod fieri potest per absolutionem, dispensationem, redemtionem et immutationem, quae Pontificii quoque in votis irritis desiderant g) apud nos autem tali casu non requiritur.

§. XII.

g) Vid. BOEHMER Iur. eccles. Protest. p. III, L. 3. T. 34.
§§. ultim.

C 3

§. XII.

Si tandem vouens soluere non vult, nec impeditur, tunc actione est compellendus. Actio autem, qua experiri debet, est *personalis*, (secund. Codic. *realis* quoque) *rei persecutoria* ideoque *perpetua* h) competens ei, qui *ius agendi* habet contra *vouentem eiusque heredem ad soluendum id*, quod in *votum* est *deductum*. Quia nullibi dispositum legitur, cuinam *ius agendi* ex *voto* competit, ab omni tempore iis est tributum illud, qui curam et custodiam piorum corporum, in cuius gratiam *votum* est emissum, habent. In antiquo foedere Sacerdotes hoc iure erant praediti, quorum episcopi apud Pontificios se successores praedicant, aequale *ius* sibi arrogantes, verum in nostris terris ad Principes vi superioritatis territorialis, cui insunt iura episcopalia, pertinet hoc *ius*, quod consistoris vel aliis iudicis demandarunt.

T A N T V M.

h) secundum D. per XXX. pronti in aliis actionibus *rei persecutoria*; secundum cod. per C. juxta Nouell. si discesseris ab ecclesia romana per XL. annos perdurans.

P R A E-

C 3

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
DOMINO REINECKE
QVAEVIS FELICIA PRÆECATVR
P R A E S E S.

Placuit TIBI VIR PRAENOBILISSIME in defendenda
hac TVA dissertatione inaugurali me comitem ha-
bere , nec detrectare officium volui ; licet ingenue mibi
fatendum sit , hoc specimen doctrinae ad apices usque
TVVM esse. Lubens hanc arripio occasionem , publice
declarandi , quanti TE faciam , qui per aliquot annos
iam in hac Musarum sede applaudentibus TVIS clienti-
bus , caussas multorum in foro perorasti , et non modo
dexteritate TVA sed et doctrina haud vulgari omnibus
TE commendasti. Adsistat et in posterum TVIS cona-
minibus Numen Supremum , vt omnia commissa et com-
mittenda expediias in proprium commodum et Reipubli-
cae salutem. Vale et me amare perge. Dabam die 14.
Febr. 1781.





vd18


ULB Halle
005 353 157

3



Sb





DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
IVRE CIRCA VOTVM

Q V A M
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E
MAGNIFICO NVNC ACADEMIAE PRO-RECTORE

D O M I N O

JOANNE MATTHIA MARTINI

SERENISSIMO DVCI REGNANTI A CONSLIIIS IVSTITIAE,
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE ET PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO
AD HVNC ACTVM DECANO

PRO
SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS.

H. L. Q. C.

D. XXI. FEBRVARII MDCCCLXXXI.

DEFENDE T
IOANNES HENRICVS REINECKE
CROEPLINO-MECKLENBURGENSIS.

B V E T Z O V I

1781

